

Lanxium
 « gypti, Sanctitati vestre flexis genibus supplicamus, petimus, per effusionem San-
 « guinis Christi obsecramus, quatenus nobis [a] tam hominum quam pecunie trans-
 « mittere studeatis; scituri pro certo, quod si Christianus populus in multitudine
 « veniat, expugnata civitate Cayri, facile satis erit partem Egypti residuam obtinere
 « et per consequentiam [b] regnum Hierosolymitanum, quod ad presens per Egypti
 « subsidium tantummodo retinetur. Alioquin pro certo noveritis, quod major pars
 « eorum, qui sunt in instanti passaggio [c], repatriare proponunt, et adquisita [d]
 « possemus amittere [e], et de illorum strage qui in exercitu remanerent merito
 « formidare. Ut ergo periculum evitetur [f], et in acquisitione Egypti securius pro-
 « cedatur, Imperatorem compellatis venire, prout nobis promisistis saepissime; et alii
 « cruce signati similiter compellantur exequi vota sua, votorum redemptione cessante,
 « de qua nullum adhuc sensimus commodum. De retentione [g] hominum sustinemus
 « evidentissimum detrimentum. Verum autem incessimam [h] quae ex consensu generalis
 « Concilii ad Terrae Sanctae subsidium specialiter fuerat deputata, licuerit, vel de-
 « cuerit [i], quia non expedit ad alios usus convertere, vos ipsi videte. Datum Da-
 « miatae, xi die introeunte mense novembris ».

Nov. 11.
De locis subito submersis.

CAP. CLXI.

Anno a nativitate Domini MCCXVIII [j], in partibus [k], mense septembri, ex-
 gentibus peccatorum nostrorum meritis, permissione divina, factum est diluvium ma-
 gnum aquarum, tam pluvialium quam fluvialium, et lacu Sancti Laurentii submersa
 est magna pars civitatis Valentiae et burgi Avignonis [l] nomine, et tota civitas Gra-
 gnopolis [m] cum solemnibus nundinis ejusdem loci, ad quas convenerant multitu-
 do [n] populi utriusque sexus, cum animalibus multis et divitiis maximis, more solito
 ex partibus Galliarum, Hispaniae, Lombardiae atque Italiae.

Epistola domino Papae, de treugua, quam Christiani facere poterant.

CAP. CLXII.

Eodem anno principes Alemaniae et Franciae talem potuerunt facere treugnam,
 ante quam Damiatam caperent, et ab eis literas recepimus in hunc modum:

[a] quatenus nobis. Sic lego cum C. V. In C. M., quatenus nobis. — [b] per consequentiam, C. V. In C. M. deest per. — [c] in instanti passaggio. Sic Codd. — [d] et adquisita, C. M.; ad quaesita, C. V. — [e] possemus amittere. Sic lego; possemus admittere, Codd. — [f] periculum evitetur, C. V.; peri- culum enitetur, C. M. — [g] De retentione, lego cum C. V.; de detentione, legit Cl. Mitt. — [h] Ve- rum autem incessimam quae ex consensu etc. fuerat deputata, licuerit, vel decuerit, C. V.; Verum au- tem incessimam quae ex consensu etc. fuerat deputata, licuerit, vel decuerit, C. V.; Verum autem intel- leximus quae ex consensu etc. fuerat deputata, licuerit, vel decuerit. Sic corrigit Cl. Mitt. Cum vero lectio amanuensis incuria sit manifesto depravata, corrigat suppleatque pro suo quisque arbitrio, non repugnaverim. — [i] Anno a nativitate Domini MCCXVIII, C. M.; Anno MCCXVIII, C. V. — [j] in partibus. Sic Codd.; sed deest aliquid. An addendum: quibusdam? — [k] burgi Avignonis, Codd. Corri- ge: burgi Avenionis. — [l] civitas Gragnopolis, C. M.; civitas Granopolis, C. V. An legendum Gra- tianopolis, id est, Grenoble? — [m] convenerant multitudo, C. M.; convenerat multitudo, C. V.